



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 227. Vtrum in homine præter animam intellectiuam sit alia anima, vel
alia forma substantialis totalis, aut partialis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

qui non sit aliquid mei, sed purè assistat mihi, ex eadem ratione, quia intellectus est operatio immanens. Si est complexum ex intellectu assistente, & corpore moto, est aggregatum duorum suppositorum, & velut equus, cui insideat homo: sed unicuique est manifestum se, in quantum est animal intellectuum, esse ens per se unum, & non solum se habere ut equum, cui insideat homo: ergo &c. Confirmatur: nam equus, cui insideat homo, non est unum animal potens exercere operationes equinas, & humanas: ergo neque corpus, cui assistat intellectus, est unum animal rationale, potens sentire, & intelligere.

3. Hæc ratio desumpta est ex Aristotele 2. de anima. Cum enim definisset animam actum, seu formam corporis organici probat text. 24. quod anima sit forma, seu actus corporis, quia est id, quo vivimus, sentimus, movemur, & intelligimus primo: sed non possumus per animam sentire, intelligere &c. nisi esset actus, & forma corporis nostri; ergo &c. Hinc constat Aristotelem stare pro nostra sententia. Confirmatur: nam ipsamet anima intellectiva ita tristatur, & dolet de passionibus corporis, ac si ipsamet per corpus patiatur: sed hoc esset impossibile, nisi esset unita corpori ut forma: ergo &c. Sed hanc quæstionem fusius tractavi in philosophia qu. 32. de anima.

4. Aduertit Sanctus Thomas, quod quanto forma est nobilior, tanto magis dominatur materia corporali, & minus ei immergitur, & magis sua operatione, vel virtute eam excedit. Probat, & explicat inductione. Nam forma misti, quia est nobilior formis elementaribus, dominatur formis elementaribus, vel eorum qualitatibus, calori nimirum, frigori, humiditati, ac siccitati, easque refrangit, ac reducit ad debitum temperamentum, & præterea prædita est aliqua alia virtute, & exercet aliquam aliam operationem nobiliorem operationibus elementaribus. Anima vegetabilis magis adhuc dominatur elementis, & exercet motus, & operationes nobiliores se nutriendi, augendi &c. Anima sensitiva magis adhuc dominatur, ac mouet se motu progressiuo, qui non conuenit elementis, & exercet operationes sentiendi; sed anima humana, ac rationalis est nobilissima formarum informantium materiam corpoream: ergo non est mirum, quod ita excedat materiam corporalem, ut habeat operationem intelligendi propriam, & independentem à materia, & in qua non communicat materia.

5. Articulo secundo quærit utrum principium intellectuum animæ humanæ multiplicetur secundum multiplicationem corporis.

Respondet contra Auerroem, qui docuit intellectum non multiplicari secundum multiplicationem corporum humanorum, sed esse unicum in tota specie humana, impossibile esse, ut sit vnus numero intellectus omnium hominum.

6. Primo probat hoc esse impossibile, si

cum Platone dicatur hominem esse ipsum intellectum. Sequeretur enim, quod Socrates, & Plato, & reliqui homines essent vnus numero homo, sicut sunt vnus numero intellectus, ac quod non distinguerentur secundum suam intrinsecam constitutiuam, sed solum secundum aliqua, quæ non spectant ad eorum constitutionem, eo pacto, quo homo, qui simul sit indutus tunica, & pallio, in quantum est homo indutus tunica, seu tunicatus, distinguitur ab homine palliato, qui nimirum sit indutus pallio; sed hoc est absurdum; ergo. Sequela probatur: nam cum homo sit tantum intellectus, & non constituatur intrinsecè per corpus, sicut Socrates, & Plato sunt vnus numero intellectus indutus duobus corporibus, sic Socrates, & Plato sunt vnus numero homo indutus duobus corporibus.

7. Probat secundo hoc idem esse impossibile, si dicamus cum Aristotele lib. 1. de anima te. 25 & 26. & lib. 3. t. 52. hominem non esse solum intellectum, seu animam intellectiuam, sed esse compositum ex corpore, & anima intellectiva ut forma. Sicut enim in creatis impossibile est, ut duo constituantur per vnus numero esse, & per vnus numero essentiam, sic impossibile est, ut constituantur per vnus numero formam, quæ dat esse rei, & est principium essendi: sed anima intellectiva est forma hominis: ergo impossibile est, ut plures homines constituantur per vnus numero animam intellectiuam, & vnus numero intellectum; adeoque non est vnus numero intellectus omnium hominum.

8. Probatur tertio vniuersaliter, abstrahendo ab hac, vel illa sententia, impossibile esse, ut plures, vel omnes homines habeant vnus animam intellectiuam, & vnus numero intellectum. Nam vna anima non potest simul habere opiniones, affectus, & merita contraria: sed in diuersis hominibus dantur contrarietates in omnibus his: ergo. Addo hanc conclusionem sequi manifestè ex principiis Aristotelis. Nam non solum dicit formas multiplicari ad multiplicationem numericam subiectorum, sed etiam asserit tot esse intelligentias motrices, quot orbes motos: ergo à fortiori putat tot esse animas informantes, quot corpora informata. Videri possunt quæ de hoc etiam puncto dixi quæst. 32. de anima, ubi etiam solui fundamenta contraria.

QVÆSTIO CCXXVII.

Virum in homine præter animam intellectiuam sit alia anima, vel alia forma substantialis partialis, aut totalis?

S. Tho. quæst. 76. artic. 3. & 4.

1. **A**rticulo tertio quærit, utrum in homine præter animam intellectiuam sint
Oooo 3 alie

aliæ animæ per essentiam diuersæ?

Respondet Platonem in Timæo, & lib. 4. & 9. de Republica docuisse, quod in vno corpore dantur tres animæ, non solum diuersæ, sed etiam subiecto, loco, & organo separatæ, ita vt anima nutritiua brutorum sit in hepate, irascibilis in corde, cognoscitiua in cerebro. Paulo aliter idem Plato videtur tres animas distinguere in homine, asserens cognoscitiuam, quæ est princeps, residere in cerebro tanquam in arce, concupiscibilem in hepate, irascibilem in corde. Aristoteles lib. 1. de anima tex. 90. & lib. 3. tex. 41. hanc opinionem. Platonis refert, & rejicit ex eo, quod in animalibus, quæ diuisa viuunt, in qualibet parte inueniuntur diuersæ operationes, sensus nimirum, & appetitus, siquidem dolorem sentiunt, & fugiunt; ergo in eadem parte est anima sensitua, seu cognoscitiua, & appetitiua, seu concupiscibilis. At lib. 3. tex. 41. videtur dubitare, vtrum anima intellectiua sit ab alijs partibus separata solum ratione, vel etiam loco?

2. Dicendum, quod si vt censuit Plato, anima intellectiua vniretur corpori, non vt forata, sed vt motor, non esset inconueniens, sed posset sustineri, quod in homine essent plures animæ. Nam nihil inconueniens sequitur ex eo, quod idem mobile à diuersis motoribus moueatur præsertim secundum partes diuersas. At si iuxta dicta questione præcedenti, anima etiam intellectiua vnitur corpori vt forma, impossibile videtur plures animas per essentiam differentes in eodem corpore esse, ac proinde absolutè dicendum, quod in vno animali datur vnica anima.

3. Probat Sanctus Thomas tribus rationibus. Prima ratio est: si in animali darentur plures animæ, animal non esset vnum ens simpliciter: sed animal est vnum ens simpliciter: ergo. Probat sequela: vnum enim ens simpliciter est, quod habet vnum esse; sed si animal haberet plures animas, vel plures formas, haberet plura esse; ergo non esset vnum ens simpliciter. Confirmatur primò: nam sicut homo, albus, musicus, non est vnum ens simpliciter, sed solum est vnum per accidens, quia per diuersam formam constituitur homo, per diuersam constituitur albus &c. sic homo, animal, viuum, non esset vnum ens simpliciter, quia per vnā animam constitueretur animal, per aliam constitueretur homo. Confirmatur secundo: nam experimur, quod nos iidem, qui sentimus, intelligimus, ac discurremus, & ad discurrendum iuuamur ex memoria, & inductione eorum, quæ sentiendo percepimus. Quo pacto verò iidem sentimus, intelligimus, ac discurremus, & ad discurrendum iuuamur sensibus, si diuersa est anima sensitua, ac anima intelligens? Neque dicas, quod quia eidem materiæ est vnita anima sentiens, & anima intelligens, potest anima intelligens ad discurrendum iuari iis, quæ percipit anima sentiens. Nam nullum cognoscituum

iuuatur, ac dirigitur immediatè à cognitionibus, quibus ipsum non cognouit. Non igitur plures animæ constituunt vnum animal, quia sunt in eadem materia, sed è conuerso plures partes materiæ constituunt vnum animal, quia habent vnā, & eandem animam: e. g. oculus, & auris constituunt vnum animal, quia habent vnā animam, quæ eadem videt per oculum, & audit per aurem, tanquam per suum instrumentum.

4. Secunda ratio est: animal per se prædicatur de homine in primo modo dicendi per se, quo de re prædicantur, quæ constituunt essentiam rei; sed si alia esset anima rationalis, per quam constitueretur homo, alia anima sensitua, per quam constitueretur animal, animal non prædicaretur de homine essentialiter in primo modo dicendi per se: ergo. Probat minor: nam cum subiectum, & prædicatum constituuntur per diuersas formas, prædicatum non dicitur de subiecto essentialiter, & primo modo dicendi per se, sed vel prædicatur per accidens, si vna forma non ordinatur ad alteram, vt cum dicimus *album est dulce*, vel prædicatur secundo modo dicendi per se, si forma, per quam constituitur prædicatum, supponat formam, per quam constituitur subiectum, ideoque quia color supponit superficiem, dum dicitur *superficiatum est coloratum*, coloratum prædicatur de superficiato secundo modo dicendi per se: ergo si alia esset anima intellectiua, qua constituitur homo, alia anima sensitua, qua constituitur animal, animal non prædicaretur de homine essentialiter, primo modo dicendi per se, sed vel per accidens, vel secundo modo dicendi per se; sed animal non prædicatur de homine per accidens, neque secundo modo dicendi per se: neque enim anima rationalis supponitur ad sensitua, sed potius anima sensitua supponitur ad rationalem: ergo.

5. Tertia ratio à posteriori desumitur ex signo. Nam vna operatio animæ, si sit intensa, impedit aliam: cum enim valde aliquis est occupatus in operationibus sensus, impeditur ab operationibus intelligendi; sed hoc non contingeret, nisi anima esset vna, quæ cum totis viribus incumbit in vnā operationem, impeditur ab alia: ergo anima est vna.

6. Ex his fundamentis vnica in homine, & in alijs animalibus animā posuit Aristoteles 2. de anima text. 31. per hæc verba, *Semper in eo, quod est consequenter, est potentia quod est prius, & in figuris, & in animis, vt in quadrato quidem triangulus est, in sensitivo autem vegetatiuum*: ergo sicut in quadrato non sunt duæ figuræ, nimirum quadratum, & triangulum, contradistinctum à quadrato, sed est vnica, figura habens quatuor angulos, quæ proinde continet perfectionem trianguli, hoc est figuræ habentis tres tantum angulos, sic in animali non datur duplex anima contradistincta, vegetatiua nimirum, & sensitua, sed datur vnica anima, quæ cum sit vegetatiua simul, & sensitua,

stiva, continet in sua perfectione vegetati-
uam, in homine datur vnica anima, quæ cum
sit vegetatiua sensitua, & rationalis, continet
vegetatiuam, & sensitiuam. Aristotelem se-
quuntur omnes penè Scholastici. Videri pos-
sunt quæ de hoc puncto dixi in Philosophia,
quæst. 6. de anima, vbi etiam solui argumen-
ta contraria.

7. Articulo quarto quærit, vtrum in ho-
mine sit alia forma substantialis totalis, aut
partialis præter animam intellectuam.

Respondet, quod si vt docuit Plato, ani-
ma intellectuua vniretur corpori, nõ vt forma,
sed vt motor, in homine daretur alia forma,
substantialis, per quam corpus mobile consti-
tueretur in suo esse substantiali: sed iuxta no-
stram sententiam, qua quæst. 225. diximus
animam intellectuam vniri corpori vt for-
mam, in homine, & in quolibet corpore ani-
mato, non datur alia forma substantialis tota-
lis, aut partialis distincta ab anima.

8. Probatur: forma enim substantialis
per hoc differt ab accidentali, quod substan-
tialis dat materiæ esse primum, per se, ac non
accidens alteri esse, vt sæpè dictum est: sed eo
ipso, quod in materia daretur forma corpo-
reitatis, vel formæ partiales carnis, ossis &c.
anima non daret materiæ primum esse, sed
daret esse secundum, supponens, & accidens
alteri esse priori; ergo eo ipso anima non esset
forma substantialis, sed vniretur corpori acci-
dentaliter, & vt motor, vt docuit Plato. Si-
cut igitur figurabile figuratur vnica figura,
sic materia formatur vnica forma substantiali.
Promouendo verò eandem paritatem formæ
substantialis cum figura desumptam ex Ari-
stotele 2. de anima text. 26. sicut cum aliquid
constituitur figuratum simul, & rotundum,
non per aliam figuram constituitur figuratum,
per aliam rotundum, sed per vnā rotundi-
tatem constituitur simul figuratum, & rotun-
dum, sic cum materia constituitur simul cor-
pus, & viuens, non per aliam formam,
constituitur corpus, per aliam viuens
sed per eandem animam constituitur simul
corpus, & viuens. Sicut figuræ sunt ita ordi-
natæ, vt consequens contineat virtute præ-
cedentem, e. g. quadrilatera trilateram, ita
formæ substantiales sunt ita ordinatæ, vt con-
sequens contineat virtute præcedentem.
Quemadmodum igitur inter figuras rectili-
neas prima, & imperfectissima est trilatera,
secunda, & perfectior quadrilatera continens
virtute trilateram, tertia est quinquelatera &c.
sic inter formas substantiales primus, & infim-
us gradus est formarum elementarium: se-
cundus mistorum inanimatorum, quæ conti-
nent virtute elementares: in tertio gradu sunt
animæ purè vegetatiuæ plantarum continen-
tes virtute mista inanimata, & elementa;
quartum constituunt animæ sensitiuæ Zoo-
phytorum; quintum constituunt animæ se-
cundum locum motiuæ brutorum perfectio-
rum; sextum demum, ac supremum gradum

inter formas obtinet anima rationalis conti-
nens in virtute alios gradus inferiores. Vide-
tur autem tota hæc doctrina de vnitae formæ
substantialis in materia desumpta ex Aristote-
le, tum quia docet citato textu 26. 2. de ani-
ma, quod sicut in figura quadrilatera contine-
tur virtute trilatera, sic in anima superiore,
continetur virtualiter inferior: tum quia 2. de
gen. animalium, cap. 1. post medium dicit;
*non est facies, neque caro, nisi animam habeat, sed
corrupta æquiuoce dicitur perinde quasi lapidea, vel
lignea facta sit*: ergo putat non remanere for-
mas partiales carnis, aut faciei, alioquin caro
viua, & mortua non diceretur æquiuocè, si
constitueretur per eandem formam partia-
lem: tum quia 2. de gener. textu 84. & 2. de
partibus animal. c. 1. circa initium docet, quod
elementa manent in mistis non acta, sed vir-
tute: ergo semper persistit in sua doctrina,
quod formæ inferiores, quales sunt formæ
elementares, continentur virtualiter in formis
mistorum superioribus, & se habent sicut
figuræ; ergo &c. Sed de hoc puncto fusius
egi quæst. 7. de anima, vbi etiam retuli alio-
rum sententias, & argumenta solui.

QVÆSTIO CXCXVII.

*Vtrum anima intellectuua conuenienter vniat-
tur tali corpori, mediantibus dispositio-
nibus accidentalibus, vel mediante
aliquo corpore, & sit tota
in qualibet parte
corporis?*

S. Th. qu. 76. art. 5. 6. 7. 8.

1. Articulo quinto quærit, vtrum anima
intellectiua conuenienter vniatur tali
corpori, hoc est humano?

Respondet affirmatiue. Vt probet, sup-
ponit primò, quod quia materia est propter
formam, non autem forma propter materiam,
& quia ex fine debet inferri, qualia debeant
esse quæ sunt ad finem, non è conuerso, ideo
ex anima intellectuua, quæ est forma corporis,
debet inferri, quale debeat esse corpus, vt sit
proportionatum animæ intellectuua.

2. Supponit secundo animam intellectu-
uam secundum ordinem naturæ tenere infim-
um gradum inter substantias intellectuas.
Ideo non habet species ingentis, nec habet
sibi inditam notitiam veritatis, sed oportet,
vt veritatem colligat ex rebus sensibilibus per
viam sensus, vt docet Dionysius cap. 7. de di-
uinis nominibus, ac proinde non solum debet
habere virtutem intelligendi, sed etiam vir-
tutem sentiendi: sed natura non deficit in ne-
cessarijs; ergo natura debuit dare animæ intel-
lectiua organum, seu instrumentum idoneum
ad sentiendum; sed actio sentiendi non fit sine
orga-